



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CALABARENSIS** IN NIGERIA NOVA
PROVINCIA ECCLESIASTICA CALABARENSIS CONSTITUITUR

Laetis captis feliciter incrementis a catholica communitate in Nigeriae finibus, ut ipsis Episcopis, sacerdotibus, religiosis et Christifidelibus inibi sedule operantibus meritum laudis testimonium tribueretur eorumque simul animi confirmarentur ad novos maioresque in dies exantlandos labores in aedificationem Ecclesiae, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuit nuper ut in eadem Natione inter alias nova Provincia ecclesiastica Calabarensis constitueretur. Nos vero, Qui pro summo Apostolico, quo fungimur, munere totius Dominici gregis bono providere satagimus, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus.

A metropolitana Ecclesia Onitshana distrahimus dioeceses Calabarensensem, Ikotekpenensem, Portus Harcurtensis, Ogotiaensem et Uyoensem atque ex his effcimus Provinciam ecclesiasticam nomine Calabarensensem, cuius Sedes princeps erit Ecclesia Calabarensis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Brennum Davidem Usanga, hactenus Episcopum Calabarensensem, Archiepiscopum Metropolitam Calabarensensem renuntiamus, cunctis factis quidem iuribus impositisque pariter obligationibus.

Quae praescripsimus perducet ad exitum Venerabilis Frater Carolus Maria Viganò, Archiepiscopus titulo Ulpianensis atque in Nigeria Apostolicus Pronuntius, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die sexto et vicesimo mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*
Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 8, pp. 632-633

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana